

ad istas tandem in Occidente & Septentrione editum est. Cuius seminandi initia sub ipsis adeò Apostolis iacta iam fuerunt: pariendi autem tempus demum fuit Phocæ imperatoris in Mauritium perfidissimi imperiū, & Bonifacii tertii Episcopatus. Hoc propter ambitiosam & infelicē illā de primo Episcoporū Episcopo in Ecclesia designando, constituendōque contentionem inter Constantinopolitanam & Romanam sedem accidit. Obtinuit autem in ea lite Roman. pontifex Phocæ imperatoris beneficio, cui gratificatus erat. Nam propter cædem Mauritiū omnibus odiosus erat Phocas. Sed illi, fauente suadentēque Bonifacio, à S. P. Q. R. tanquam legitimo Imperatori acclamatum est. Circa annum autem à Christo passo 574. nata est hæc Ecclesiæ vniuersę internecio, pestis & tyrannis, quæ Christi regnum postea funditus deleuit, ex omnium hereseōn erroribus, velut deforme monstrum, composita. De qua pluribus ageremus, nisi luculenter de toto hoc argumento in libello nostro, qui est de Antichristo, iam dixissemus.

CAP. XCVI.

De Mahumetismo, qui est alter omnium superiorum hereseōn alueus, & mare, quod eas in Oriente & Meridie ebibit & absorpsit.

MAhumetismus Papismum secutus est proximé. Nam anno 12. Heraclii imperatoris, sub extremo pontificatu Bonifacii quinti, circa annū à Christo passo 589. nata est primū hæc mundi lues, & heresis plusquā blasphema, vel